

In testimonio Jacobi, sed alibi sæpius geri mentionem hujus sacramenti in sacra Scriptura, ut constat ex testimoniis allatis articulo præcedenti, et afferendis statim conclusione sequenti. Ad id quod objicitur, Christum non usum fuisse sacramento poenitentiae, respondetur cum D. Thoma articulo VII ad quartum, et in IV, dist. XXII citata, quod aliud est instituere sacramentum, aliud ministrare. Instituit ergo Christus sacramenta, non tamen omnia administravit, sed aliqua. Propter commendandum sacramentum, in quo ipse est sacerdos et hostia, usus est eucharistia; et ipse ordinavit Apostolos propter eundem finem, cum eis conferat potestatem supra suum corpus verum. Deinde potestatem tribuit administrandi omnia sacramenta, unde non fuit necesse ipsum administrasse baptismum et poenitentiam, et reliqua, quæ non constat administrasse, quia non deerant ministri qui administrarent, et quia auctor sacramentorum non ligabatur instrumentis a se institutis ad conferendum eorum effectus. Cum enim non haberet peccatum, non potuit poenitere; et quoad alios non administravit poenitentiam, ut ostenderetur sacramentorum dominus, qui absque sacramentalibus effectus præbebat sacramentorum.

IX. Quantum ad secundum, scilicet, quoad determinatum tempus in quo celebrata fuit sacramenti hujus institutio, non conveniunt catholici; nam Armacanus libro XI de quæstionibus Armenorum, cap. XIV et XV, ait fuisse institutum Matthæi XII, et Lucæ VI, dum Christus misit Apostolos prædicare evangelium, ne diminuta potestate incederent. Auctor de operibus cardinalibus apud Cyprianum sermone de ablutione pedum, insinuat fuisse institutum dum præcipitur a Christo Matthæi IV; alii quando declaratur

medium necessarium ad salutem, Luc. XIII: *Nisi poenitentiam egeritis, omnes simul peribitis*. D. Thomas subindicat hic, et in IV, distinct. XXII citata, institutum fuisse per partes; nam Matth. IV instituitur materiae utilitas, Lucæ XIII necessitas, Matthæi XVI potestas clavium, et eadem instituitur Matthæi XVIII, et Joannis XX. Modus tamen instituitur Jacobi V jam allato: sed post defensionem Tridentini nulli jam licet opinari in hac re.

X. Dico secundo: Sacramentum poenitentiae institutum fuit a Christo post resurrectionem, in illis verbis Joannis XX: *Accipite Spiritum sanctum; quorum remiseritis peccata, etc.* Hæc conclusio expresse definitur in Tridentino sess. VI, cap. XIV, et sessione XIV, capite III sic definit: « Dominus autem sacramentum poenitentiae tunc percipue instituit cum mortuis excitatus insufflavit in discipulos suos, dicens: *Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, etc.* » Ratio conclusionis est, nam hoc sacramentum tunc vere instituitur, et non antea, cum erigitur tribunal iudicii poenitentialis, et consequenter cum iudicibus tribuitur iudiciaria potestas, id est, absolutiva et retentiva virtute clavium, ut juxta merita delinquentis liget aut solvat; nam etiamsi detur causa ut cognoscantur delinquentium peccata, nequit ferri sententia deficiente potestate iudiciaria: unde tunc vere erigitur tribunal, cum a superiori tribuitur potestas ad cognoscendum causas delinquentium, et ad solvendum vel condemnandum juxta merita: ergo cum sacramentum poenitentiae sit spirituale iudicii tribunal, tunc vere instituitur, cum sacerdotibus confertur potestas clavium ad cognoscendum forum animæ, et discernendas causas, ut facta accusatione a poenitente, juxta illius dispositionem et merita sacerdos

absolvat, aut condemnet: potestas vero clavium traditur Joannis XX verbis allegatis: ergo tunc instituitur sacramentum poenitentiae, et non antea.

XI. Inquires causam dilationis in instituendo hoc sacramentum post resurrectionem. Respondetur causam a priori esse voluntatem Christi instituentis poenitentiam quoad substantiam et circumstantias omnes. Aliqualis etiam assignari potest congruentia ex S. Thoma supra quæst. LXVI, art. II, quam affert de baptismo, quia scilicet potestas clavium conferenda erat sacerdotibus, qui ordinati non fuere usque ad ultimam cœnam. Ideo autem tunc non fuit institutum, quia oportebat Christum pati, et resurgere a mortuis die tertio, et prædicari in nomine ejus poenitentiam et remissionem peccatorum in omnes gentes, ut testatur S. Lucas citatus a S. Thoma hic articulo septimo, in argumento Sed contra. Nam ex virtute nominis Jesu Christi patientis et resurgentis habet poenitentia efficaciam remittendi peccata: et propter mysterium designandum, quia scilicet per poenitentiam resurgit homo a morte peccati, et ita resurgit, ut quantum est ex vi gratiæ sanantis et resuscitantis animam, iterum non moriatur, sicut Christus, teste Apostolo, Romanorum sexto.

XII. Ad fundamenta oppositæ sententiæ respondetur S. Thomam ibi citatum concordasse omnia testimonia allata, quatenus docet sacramentum poenitentiae fuisse commendatum Matth. IX, ejusque utilitatem, sicut et necessitatem declaratam Lucæ XIII, potestatem Apostolorum promissam Matth. XVI et XVIII. Nondum tamen adest institutio usque ad resurrectionem, dum Joan. XX, totaliter instituitur, cum potestatem clavium Apostolis confertur, ex qua recipit sacramentum

totam efficaciam, et originem virtutis in remissionem peccatorum.

XIII. Objicies contra dicta: Nam potestas clavium collata fuit Apostolis ante Christi resurrectionem, Matth. XVIII, ubi eodem tenore verborum dicitur sic: *Amen dico vobis: Quæcumque alligaveritis super terram, etc.* in quo implet Christus quod Petro promiserat de futuro Matth. XVI: *Tibi dabo claves regni cœlorum*: ergo tunc fuit peractum sacramentum; etsaltem tunc fuit institutum, cum cessavit vetus lex. Oportebat enim quod cessantibus legalibus, utpote umbris et figuris, adveniret veritas legis gratiæ, quæ præcipue constat ex sacramentis. Lex autem vetus cessavit in morte Christi, id enim non obscure indicant ultima Christi verba: *Consummatum est*, Joan. XIX, communiterque id censent theologi cum S. Thoma I-2, quæst. CIII: ergo ante resurrectionem oportebat institui poenitentiae sacramentum, ne homines absque lege et absque remedio degerent, specialiterque cum sit præparatorium ad eucharistiam institutam in nocte cœnæ, ut definit Tridentinum sessione XXII.

XIV. Respondetur, quod in testimonio Matthæi promittitur potestas clavium ad forum animæ interius, nec fuit collata usque ad adventum Spiritus sancti, quem per insufflationem Apostolis tribuit Christus Dominus: *Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis, etc.* Nam ut expendit S. Thomas Joan. XX, ante pentecosten datus fuit Spiritus sanctus ad hunc effectum (scilicet remittendi peccata) licet non communiter ad omnes effectus collatos in communi adventu. Remissio enim peccatorum, cum fiat media charitate, et Spiritus sanctus sit charitas, debuit advenire ad tribuendam potestatem remittendi peccata. Et ideo cum Matthæi XVIII nondum



venerit Spiritus sanctus, non fuisset conveniens institui hoc sacramentum de præsentibus: tunc igitur tantum promittitur de futuro, et conferitur post resurrectionem. Sic communiter respondent doctores.

XV. Vel secundo respondetur, quod si ibi tribuitur de præsentibus potestas, ut sonant verba, tantum est potestas judicialis forensis et contentiosa, scilicet potestas ad separandos fideles contumaces per excommunicationem propter peccatum inobediendi a consortio Ecclesiæ, et ad puniendos rebelles pœnis et censuris ecclesiasticis, ut ex contextu colligit S. Thomas Matthæi xviii, in quo posito præcepto ordinis servandi in correctione fraterna, addit Christus: *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus*, id est, separatus et excommunicationis latam ab Ecclesia. Ut autem appareat efficacia potestatis ecclesiasticæ ad hanc pœnam exequendam et inferendam, immediate subjungit Christus: *Amen dico vobis: Quæcumque alligaveritis super terram, etc.* Et subdit S. Thomas: « Sic dicitur alligare, quia non solvit, vel quia excommunicat. » Unde habemus in illo testimonio non fieri sermonem de potestate clavium in foro interiori, sed de potestate ferendi sententiam in foro exteriori. Ad cessationem legalium, et inceptionem legis gratiæ in morte Christi, respondetur cum S. Thoma 1-2, quæst. cvi, articulo iii, quod lex vetus cessavit consummata hominis redemptione per Christum, qua peracta incepit lex nova; sed a morte Christi usque ad ascensionem tempus fuit moraliter quasi instans inceptions ac desitionis utriusque legis, constans ex pluribus actionibus ordinatis ad eundem finem; unde etiam non obligabatur aliquis ad usum baptismi jam instituti in baptisate

Christi, nec peccabat utens circumcisione usque ad præceptum baptismi promulgatum Matthæi ultimo: *Euntes baptizate eos, etc.* Itaque toto illo tempore omnia requisita ad firmandam Ecclesiam sunt prævisa. Et inter præcipua fuit sacramentum poenitentiae, quod institutum invenitur Joan. xx, et non antea.

### ARTICULUS III.

*Quæ sit forma sacramenti poenitentiae, et quem sensum faciat?*

I. In Concilio Florentino in decreto Eugenii, et in Tridentino sess. xiv, cap. iii, forma sacramenti poenitentiae præscribitur, quæ consistit in illis verbis: Ego te absolvo, etc. Ad istum ergo actum tria spectant determinanda. Primum, an sufficiat aliquid æquivalens verbis ad valorem sacramenti, scilicet nutus, scriptura, aut alia signa quibus innotescat absolutio; et an possit sacramentum perfici absque verbis: secundum, an omnia verba, quæ a sacerdote absolvente proferuntur, sint essentialia; et aliqua; et quæ illa sint: tertium, quem sensum faciant.

AN ABSOLUTIO POSSIT IMPENDI SINE VERBIS.

II. Circa primum, Medina Complutensis codice de confessione ix, de modo confitendi; Paludanus in iv, distinct. xvii, quæst. ii, art. ii, num. vii; Petrus de Soto lect. xviii de confessione; et Navarrus in summa, cap. xxi, num. xxxvi, existimant formam præfatam sufficere ad valorem sacramenti in aliquo casu scripto missam ad poenitentem.

Fundamentum hujus sententiæ est, nam hoc sacramentum institutum est per modum iudicii; ergo ad illud perficiendum sufficit ea apponere, quæ in foro judiciali et forensi necessaria sunt, in quo sufficit sententia iudicis in scriptis apposita; neque ex ratione sacramenti excludit scripturam in forma, et aliis concomitantibus. Potest enim sacerdos nutibus aut scripto imponere poenitentiam sacramentalem, ut dum imponitur surdis et mutis, et absolvere a censuris, ut aliqui satis probabiliter existimant. Similiter ex parte formæ, ut constat in matrimonio, cujus forma (scilicet consensus conjugum) scriptura et nutibus facta sufficit ad valorem sacramenti, ut determinat Florentinum citatum, dum præcipit regulariter debere verbis perfici matrimonium; unde datur locus aliquando nutibus et scripturæ in supplementum vocum, ne surdi et absentes priventur sacramento matrimonii. Confirmatur, nam muti possunt comparere in foro poenitentiae ut rei et poenitentes, qui tamen nutibus solum ostendunt cor suum a peccatis recessisse. Imo quilibet potest interprete aut scriptura uti in præsentia sacerdotis, et in absentia per internuntium et scripturam confiteri; ergo et sacerdos potest nutibus præsentem absolvere, specialiter si absolvens sit mutus; et absentem absolvere poterit per litteras, aut per internuntium.

III. Sed his non obstantibus dicendum est, ad valorem sacramenti poenitentiae necessario exigere æternam prolationem et sensibilem illorum verborum, quæ spectant ad essentiam formæ. Hæc conclusio est communis, quam tradit S. Thomas hic art. iii, Cajetanus verbo confessio xi, expresseque definitur ab Eugenio in generali definitione omnium sacramentorum; et in par-

ticulari Florentinum definit sic: « Forma sacramenti poenitentiae sunt verba absolutionis, quæ sacerdos profert, cum dicit: Ego te absolvo, etc. » Omnes autem isti termini, verba, profert, dicit, manifeste declarant proprietatem locutionis humanæ. Neque addit regulariter (ut in sacramento matrimonii) neque admittit supplementum loco vocis. Idem definit Tridentinum sess. xiv, cap. iii, dum docet formam hujus sacramenti consistere in illis ministris verbis: Ego te absolvo, etc. nec dicit in illis nutibus, aut scripturis. Idem habetur in Concilio Coloniensi et Moguntino capite primo in fine. Ratio conclusionis desumitur ex institutione Christi, adjuncta Ecclesiæ traditione, et vetusta fidelium consuetudine, et praxi tot sæculis invariata, et exemplo aliorum sacramentorum, quorum forma verbis perficitur, quia absolute forma verborum præscribitur. Illa enim nunquam perficiuntur nutibus, aut scripto, ut patet in sacramento baptismi et ordinis. Et cum possit baptizans et ordinans, si sit mutus, formam illorum sacramentorum scripto aut nutibus applicare, quia tamen traditio Ecclesiæ essentialiter exigit verba, nunquam illa sacramenta absque verbis perfici possunt: ergo poenitentia valida non erit si forma illius verbis non exprimitur.

IV. Ad fundamentum oppositæ sententiæ respondetur, hoc sacramentum institutum fuisse per modum iudicii, non tamen propterea observari debent omnes conditiones iudicii communis, in quo etiam non est idem reus et accusator, nec reo creditur contra se, et pro se, ut contingit in sacramento et iudicio poenitentiali. In aliis etiam iudiciis ex præcepto legislatoris aliqua potest superaddi solemnitas, ut sententia ibi lata valida sit et exequenda, ut quod detur in scriptis, quod non